Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2451
Quelle:
Copyright:

logus porro operis ita inchoat: *Uniuersis in christo ihesu religiosis ad quos presentes peruenerint et presertim sub Regula S. Augustini militantibus — Animarum Zelus ymmo christi karitas me compellit, vt aliqua ni fallar salutaria licet plerisque minus suauia* &c. Sequitur mox divisio in tres *Particulas Monacharii*, *Dyetarii* et *Locarii* nomine; *in prima agetur de tribus substantialibus Regule cum suis oppositis annexis atque dependentibus. In secunda de septem horis canonicis — cum suis significationibus, In tertia qualis debeat esse Religiosus in omni loco.* Nulla has inter *Particulas* proportio; dum enim Prima *Capitibus* plusquam CLXXXII. constat et usque ad *fol.* 242. porrigitur, reliquae duae *foll.* 26. absolvuntur. Adjungitur deinceps *fol.* 268. p. 2. nova Tractatio hoc Praeloquio: *Post consummationem superioris tractatus insurrexit quedam Noua secta malignantium aduersus regularem obseruantiam non solum impugnantes substantiam rei sed etiam peruertentes significationem nominis dicentes obseruanciam* permerdanciam *et quandam esse* Ribaldariam. *Contra tales blasphemos subponentur hic tria Capitula.* Horum I. agit de Excellentia Rei et Nominis Obseruantiae. II. de ejus Corruptoribus. III. de Praelatis carnalibus, quos rigidus noster Legum Vindex *Tauros pingues* adpellat, toto opere designans et acriter carpens labascentem multorum in *Germania* coenobiorum conditionem, quae tandem Sec. XVI. ineunte ruinam dedit.

DCXLI.

Codex chartaceus, interpositis quibusdam membranis, lat. Sec. XV. Folior. 368. 4. a diversis conscriptus, et quondam Monasterii ad D. *Pantaleonem* O. S. B. *Coloniae*, sequentia complectitur: I. Tractatum de Vita Monastica colloquentibus *Magistro* et *Discipulo*, cujus initium: *Instantibus tuis precibus. ymo tuis propositis auctoritatum rationibus et spe mercedis quam me consecuturum promittis* &c. Autoris Asceseos perquam periti, et, ut videtur, ad Institutum quoddam Coenobiticum pertinentis nomen non reperio. Finis: *sed ei a quo cuncta bona procedunt offeratur christo ihesu qui est super omnia deus benedictus in secula Amen.* 637

II. *fol.* 95. *Aliqua notabilia sancti Thome et aliorum doc. de sacramento eukaristie.* Veluti Catena ex *Thoma*, *Augustino*, *Ambrosio*, *J. Damasceno*, *Hugone*, *Gregorio* &c. hujus initii: *Scire debes quod sacramenta noue legis sunt septem* &c.

III. *fol.* 107. *Ex dictis sancti Thome. Jo. Gerson et H. Gorichem et aliorum de sacramento altaris in quantum habet vim precij satisfactivi et de modo applicandi.* Initium: *Celebrans pro quanto est organum ecclesie representans christum* &c. Exponuntur obligationes Missae sacrificium pro aliis offerentium.

IV.